



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 65. Historia hujus Pontificis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](#)

sione oriuntur, die quinto Decembris  
Cardinalis Cremonensis in summum Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.  
Pontificem elgebatur, postquam hæc  
comitia duos omnino Menses demptis  
tribus diebus tenuere.

## §. LXV.

*Historia hujus Pontificis.*

Hic idem neo-electus Papa Gregorius XIV. nomen assumpsit, antea vero Nicolaus Sfondratus nominatus: filius erat Francisci Sfondrati Nobilis Cremonensis, celebris Caussidici, & Mediolanensis Senatoris, qui post Annæ Vicecomitis uxoris suæ mortem a Paulo III. Pontifice Mediolano Romam acersitus Cardinalitia dignitate honoratus est: ejus autem Filius Nicolaus Cremonæ die tertia Februarii Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo trigesimo quinto natus, cum in lucem immaturo partu editus fuisset, ejusque Mater in puerperio dececessisset, semper corpore imbecillis, ac teneræ admodum habitudinis erat: nihilominus Patavii, & Perusiae sedulam civili jurisprudentiæ operam navans Doctoratus laurea decoratus est, ut quondam Mediolanensis Senatoris dignitatem, quam ejus Parens florebat, promereri posset: eum tamen longe vehementiorem animi propensionem ad sacram militiam in

H 3      feme-

**Sæcul. XVI.** semetipso experiretur, hinc relicto fo-  
**A.C. 1590.** rensi strepitu, primo Abbas, ac demum  
 cedente Friderico Cæsio Cremonensis  
 Episcopus salutabatur, qua etiam digni-  
 tate conspicuus a Pio IV. ad Trident-  
 num Concilium decretus ibidem iis ad-  
 hærebat Episcopis, qui residendi ne-  
 cessitatem ex lege divina Præsulibus im-  
 positam censebant. Postea suo animi  
 candore, ac actionum integritate sibi be-  
 nevolentiam Gregorii XIII. conciliabat,  
 a quo etiam Romana Purpura honora-  
 tus est eodem tempore, quo anno Christi  
 millesimo quingentesimo octogesimo  
 tertio sacrum Collegium tot Purpuratis  
 auctum est, qui postea tanquam Pon-  
 tifices Ecclesiam illustrarunt.

### §. LXVI.

#### *Inaugurationis solemnia.*

**Circ. 1. c.**

Quamprimum Gregorius XIV. Pontifi-  
 catum adeptus erat, mox Cardi-  
 naliū unicuique mille aureos donari  
 jussit, ut expensas durantibus comitiis  
 factas resarcire possent: insuper in ege-  
 na monasteria largas eleemosynas di-  
 stribuit: demum die octava Decembri  
 a Cardinale Austriaco, Constantiensi  
 Episcopo, ac sanctæ Ecclesiæ Romane  
 Archidiacono inauguratus est, ubi ad  
 festivas populi acclamations sæpius  
 subridere videbatur, quod tamen ne-

qua-